

fit honestæ recreationis causa, cum dictæ recrea-
tiones sint actus virtutis Eutrapeliæ. Hinc notat
Texeda *Theol. mor. t. 1. lib. 2. r. 1. contr. 6. D. 1.*
neque in excommunicatorem incidere, etiam
si coram secularibus repræsentent; quia illa ha-
bitus dimissio nec est temeraria, nec ad vagan-
dum, nec ex contemptu legis ordinata. Sen-
tio nihilominus cum Lezana, id propter naturæ
imbecillitatem, & corruptionem, semper esse
pericul. sum.

Quar. 17. An liceat monialibus aliquas re-
præsentationes facere in Ecclesiis.

Resp. Inhonestæ repræsentare in Ecclesia pec-
catum mortale est; vana, & secularia, non
tamen multum turpia, veniale; devota, & sa-
cra, caret culpa. Ratio horum omnium est, quia
in primo casu irrogatur Deo, & Ecclesiæ magna
irreverentia, in secundo modica, in tertio nul-
la. Sanch. *opusc. lib. 1. c. 8. dub. 24. n. 18.* Verum
Gavant. *in Enchir. Episc. versu repræsentationes
sacra n. 1.* oppositum sustinet cum Barbosa etiam
quo ad spiritualia, & observat, quod S. Carolus
in Conc. 1. Provinc. prohibuit, ut Passio Salvato-
ris nullibi agatur. Unde Zerola *in Praxi Episc. p.
1. verb. repræsentat.* laudat aliquorum Episcopo-
rum zelum, d. etas repræsentationes sine expres-
sa eorum licentia posse fieri prohibentium.

Quar. 18. Quænam sint media apta ad
tuendam castitatem.

Quar. Studeat monialis peccatorum occa-
siones fugere, otium omnium malorum pa-
rentem, certissimumque animarum exitium
perhorrescere, virorum aspectus, & multo
magis familiaritatem declinare; sensus accu-
rate custodire, præcipue visum, auditum, &
tactum; nam de visu alserit lidorus, *Oculus
est*

est principium fornicationis; de auditu subdit
Tertullianus, *Bonos corrumpunt mores confabu-
lationes pessima*; & de tactu scribit Angelicus;
*Tactus est actui venereo cognatus, & finicimus,
& modico intervallo separantur ad invicem.*
Prodest insuper quamplurimum ad tuendam
castitatem, mortis, & inferni jugis recorda-
tio, carnis maceratio per ciborum abstenen-
tiam, & cilicii gestationem, Librorum spiri-
tualium lectio, assidua vulnerum Domini Je-
su Christi recordatio; unde dicebat D. Augu-
stinus: *Cum me pulsæt aliqua turpis cogitatio,
recurso ad vulnera Christi: cum me premat caro
mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo.*

CAPUT VI.

De Monialium subiectione erga suos Superio-
res ex vi Voti Obedientiæ.

§. I.

*De natura Voti Obedientiæ, & obligatione
ab ipso proveniente.*

Quar. 1. **O**uid est votum religiôsæ Obedien-
tiæ.

Resp. Est promissionem, qua monialis
propriam subiciens voluntatem Superiori se
obligat ad parendum in omnibus, quæ pos-
sunt cadere sub objecto virtutis obedientiæ.
Hinc est, quod obligatio huius voti se exten-
dit tantum ad res licitas, & honestas, ita ut
cum certo constat, rem præceptam esse illi-
citam, & malam, aut contra regulam, vel
præceptum superioris altioris, nullo pacto te-
netur

netur monialis obedire, etiam si ad hoc poenis, vel censuris compellatur; quia monialis se obligat ad id tantum, quod est materia voti, cuiusmodi non est, nec esse potest res illicita. *D. Th. quodlib. 10. a. 11.* Item si Superior præciperet res tantum utilitati temporali sui, aut suorum, ut si præciperet moniali, quod faceret recamaturas &c. alicui consanguineo, aut amico, non tenetur obedire; cum hæc non sint secundum regulam; sicuti neque tenetur obedire, si præcipiat vana, vel ad regulam sive explicite, sive implicite non pertinentia.

Quar. 2. An in dubio quod res præcepta sit licita, parendum sit Superiori.

Resp. Quod sic cum commun Doctorum, quos refert *Peyrin. tom. 1. q. 1. e. 7.* delinquitur ex c. quid ergo, 11. q. 3. &c. quid culpatur 23. q. 1. quibus determinatur, quod in dubio Superiori parendum. Limita, nisi urgeat in præjudicium tertii, aut honoris, vel propriæ famæ. Ita *Rodrig. Miranda, & Peyrin. l. c.* quæ nemo tenetur parere cum gravi suo, vel alterius incommodo, nisi constat, Superiorem legitime præcipere, & habere auctoritatem tunc præcipiendi. Et ob hanc causam monialis dubia de honestate præcepti non tenetur statim obedire, si illi præcipiatur res valde difficilis, & nimis molesta; sed potest rem maturius discutere, & quousque sibi non constat de honestate rei præceptæ, executionem differre. Ita ex *Rodrig. Peyrin. loc. c.*

Quar. 3. An moniales ex vi voti obedientiæ teneantur exequi id, quod sciunt, velle Superiorem; voluntas tamen illius nullo præcepto est manifestata.

Resp. Non teneri; quia voluntas mente recepta nihil operatur. Obligantur igitur solum, quan-

quando præceptum est intimatum, sive ore tenus, sive scripto, sive alio modo.

Quar. 4. An moniales sine Superioris licentia possint valide aliquid vovere.

Resp. Negant *Palud. Ang. Rosel. & Valent.* quia votum non fit sine voluntate, qua carent moniales, cum earum velle, & nolle, stante voto obedientiæ, a Superioris dependeat voluntate. Censeo nihilominus cum *Cajet. Sot. Nav. & aliis* posse valide, & merito vovere ea omnia, quæ nec regulæ, nec Superioris præcepto repugnant, nec eas a debito illius obsequio avertunt. Quia vovere per se est opus consilii, & alias non est religiosis prohibitum. Quare possunt vota personalia emittere de actibus positis sub præcepto sive divino, sive regulæ, ad magis obstruendam voluntatem in eorum observantia; nec non de operibus supererogatis, quæ nec a regulâ prohibentur, nec præcipiuntur; immo etiam si excedant obligationem regulæ, ut est transitus ad strictiorem. Nam materia huiusmodi votum est per se honesta & medium asequendi perfectiorem. Potest tamen Superior prohibere monialibus, ne ipsa inconsulto voveant, quia hoc non est opus perfectionis impedire, sed modum, quo melius fiat, providere. *Suar. 2. 2. de relig. l. 2. c. 6. n. 25.* & *Barb. a S. Paul. Theol. relig. l. 2. q. 23.* qui sustinet, vota contra huiusmodi prohibitionem facta valere, quia ad validitatem voti sufficit, quod materia sit Deo grata, licet vovendi modus illi displiceat.

Quar. 5. Quibus Superioribus teneantur moniales parere ex vi voti obedientiæ.

Resp. Is omnibus, quibus per tale votum se subjiciunt, sive immediatis, sive mediatis, sive regularibus, sive non. Tenentur igitur parere Abbatissæ in his, quæ spectant ad regulam, in

quibus etiam ex vi voti tenentur parere Summo Pontifici, tamquam supremo omnium Religionum Capiti, & cui per religionis votum omnes subduntur religiones. Episcopo quoque tenentur parere, si sint illi subiectæ, quia obligatio parandi oritur a jure subjectionis. Si vero sint exemptæ, tenentur parere Episcopo in his, quibus se habet tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ut in observantia clausuræ; in reliquis vero parere debent Prælati sui Ordinis, & quidem eo pacto, quo tenentur ejusdem Ordinis religiosi, cum in utrisque votum obedientiæ sit idem.

Quæst. 6. An monialis in spectantibus ad regimen monasterii maximis scrupulis agitata, a quibus non potest se liberare, teneatur, Superiore præcipiente, munus subire Abbatissæ.

Resp. Non teneri. Ita colligitur ex *Græff. Peyrin. Rodrig. Sot. & Sanch. in decal. lib. 6. c. 2. n. 52.* Quia munus Abbatissæ cum tam vehementi scrupulorum anxietate esset illis nimis onerosum, & difficillimum; in moralibus autem, quod est valde difficile, æquiparatur impossibili, ad quod nemo tenetur. Tum quia sicuti vehemens scrupulorum agitatio in persolvendo officio divino eximit a præcepto recitandi horas canonicas, *Gobat. tom. 2. sr. 5. cas. 23. sect. 2. n. 714.* ita vehemens scrupulorum agitatio in regimine monasterii eximit a præcepto subeundi munus Abbatissæ.

Insuper, nemo tenetur obedire cum suæ animæ periculo, & aliorum detrimento, ut communiter cum D. Thoma. Utrunque sequeretur, si monialis obediret Superiori præcipienti. Primum quidem, quia stante illa scrupulorum anxietate exponeretur continuis animi agitationibus, & perplexitatibus, consequen-

ter

ter probabili periculo labendi ex conscientia erronea in aliquam culpam. Secundum vero, quia, utpote scrupulosa, esset in custodia regulæ nimis rigida, ac in delictis, & transgressionibus monialium perquirendis nimis anxiosa; atque adeo, ut advertit *Peyrin. de Præl. q. 2. c. 3. §. 15. n. 145.* parum prudens, & minus misericors unde turbaretur religiosa societas, & totius monasterii concordia.

Ex quo pariter confurgit validum aliud motivum eximens in hoc casu dictam monialem ab obedientia. Si enim suo scrupuloso regimine præberet causam turbandæ pacis, & concordiæ, jam est regiminis indigna, adeoque non tenetur, imo neque potest absque mortali peccato acceptare munus Abbatissæ; quia dignitas ita est de intrinseca natura Prælati, ut neque Summus Pontifex possit dispensare, ut eligatur indigna, cum sit de jure divino naturali. *Peyrin. de subdit. q. 1. r. 10.*

Quæst. 7. An Abbatissa possit præcipere monialibus in virtute obedientiæ, obligando in conscientia.

Resp. Negativa sententia traditur a Soto, & *Caramuele in Theol. regul. disput. 38. res. 5.* ubi alios citat. Quia enim potestas Abbatissæ spiritualis non est, sed œconomica, domestica, & civilis, nihil imperare potest, quod monialium conscientiam valeat onerare. Nihilominus posse Abbatissam præcipere in virtute obedientiæ, & in conscientia obligare, docet *Pasqual. in Laur. p. 1. n. 763.* cum undecim aliis ibi relatis. Ratio est, quia inter Abbatissam, & moniales adest ordo superioritatis, & subjectionis, autorizatus a Summo Pontifice; unde votum obedientiæ obligat moniales tanquam subditas ad obediendum Abbatissæ, quia

F 2

quia ex vi talis ordinis est collata Abbatissæ potestas exigendi obedientiam, quæ potestas fundatur in jure Superioritatis.

Neque per hoc exercet jurisdictionem spirituales, quia quod præcipitur, supponitur jam impositum monialibus exequendum ex vi regulæ, in qua aut expresse, aut tacite continetur, & proinde præceptum est regulæ, & Abbatissa solum utitur jure acquisito ad exigendum ex vi voti obedientiæ, quod est in regula. Quare Abbatissa ministerialiter tantum se habet, quia tanquam ministra conjungit in tali, & tali moniali quoad particularia regulam cum obligatione voti obedientiæ, coarctando monialem ad exercendum votum obedientiæ circa talem rem a regula præscriptam. Unde potest Abbatissa præcipere non solum spectantia ad economicam monasterii gubernationem, sed etiam concernentia spiritualem monialium profectum, quia hæc quoque sub obligatione regulæ continentur.

Quar. 8. An Abbatissa ex voto obedientiæ ei emissio possit præcipere monialibus ea omnia, quæ potest Prælati Regularis præcipere suis religiosis.

Resp. Non posse; quia Prælati Regularis, utpote pollens potestate spirituali, potest imponere nova præcepta spiritualia de iis, quæ non sunt in regula, concernunt tamen ad conservationem regulæ; Abbatissa vero non potest præcipere in virtute obedientiæ nisi ea, quæ sunt in regula, ut pro adimplerione uti possit obligatione voti obedientiæ, Pasq. *loc. cit. n. 766.*

Quar. 9. An monialis teneatur obedire Abbatissæ præcipienti revelare secretum fidei suæ commissum.

Resp. Si decretum vergit in damnum monaste-

nasterii, aut alicujus personæ, vel Abbatissæ, aut alterius Superioris, etiam præciso præcepto, tenetur, dictante lege naturali, quod bonum commune particulari bono est præferendum. Ita D. Th. 2. q. 70. a. 1. ad 2. S. Anton. Reginal. Nav. & alii. Si vero secretum non vergit in damnum tertii, sed solum in damnum manifestantis, non tenetur obedire, quia jure naturæ debemus proximo fidem servare, maxime ubi adest propriæ personæ damnum D. Th. quodlib. 1. a. 15. Sylv. Reginal. Scor. & alii.

Quar. 10. An Abbatissa possit cogere monialem ad acceptandum, & exercendum aliud quod munus, non obstante pacto in contrarium, & soluta monasterio dote majore solito ad hunc effectum.

Resp. Posse cogere; quia ea conditio est turpis, cum sit contra votum obedientiæ, quod debet mitti simpliciter in ordine ad omnia, quæ sunt expressa in regula, ut docent omnes cum D. Th. quatenus igitur turpis, est rejicienda; unde prædicta monialis debet obedire sicuti alia ejusdem professionis, & muneris. Nec obstat majoris dotis solutio sub ea conditione, cum enim ea sit turpis, sibi imputet monialis; qui enim facit, quod non debet, recipit quod non oportet, l. Julian. §. offerri ff. de alt. empr. Ita Bord. in miscel. Dec. 436.

Quar. 11. An Superior possit imponere monialibus præceptum obedientiæ obligans sub mortali in materia levi.

Resp. Ex communi Doctorum sententia non posse; quia potestas Superioris non se extendit ultra terminos rectæ rationis, alioquin gravaret subditos injuste, quia gravaret absque necessitate. Recta autem ratio dicitur, quod præceptum accomodetur exigentiæ

materiae, quare si materia est levis, non potest præcipi sub mortali. Verum tamen est, quod materia ex se levis potest esse gravis respectu communitatis, & ratione finis, & in tali casu potest præcipi sub gravi, unde consurget obligatio gravis, quia est obligatio ad mensuram exigentiae finis.

Quar. 12. An si Episcopus in virtute obedientiae præcipiat monialibus, ne accedant ad januam, ad evitandum aliquid incommodum, peccet monialis accedendo, quando certo scit, in tali casu non adesse periculum, ratione cujus præceptum est impositum.

Resp. Peccare; quia esto non adsit periculum in illo casu, adest tamen generatim, & ut plurimum; & hoc sufficit, quia hæc fuit causa imponendi præceptum. Et ita docet Diana cum aliis in opere *Coord. t. 7. tr. 1. ref. 132. n. 2.*

Quar. 13. Quænam sit forma faciendi præcepta obligantia sub mortali.

Resp. Variam esse formam, prout varii sunt ordines religionum; unde in unoquoque ordine inspiciendum est, quid quoad hoc statutum sit, aut usu inductum, illudque omnino servandum. Communiores tamen, & frequentiores formæ sunt, in nomine D. N. J. C. vel in virtute Spiritus Sancti, vel in virtute obedientiae.

Quar. 14. An ex verbis præcipio, jubeo, strictè præcipio, sub præcepto injungo, absolute prohibeo, colligatur obligatio parendi sub mortali.

Resp. Negative cum Medina, Lorea, Valq. Suar, & Sanch. in decal. lib. 6. c. 4. n. 26. quia verba illa sunt indifferentia ad obligandum sub mortali, vel sub veniali, ut præceptum non furandi, non mentiendi in materia levi. Cum igitur talia verba ex genere suo non obligent sub mortali,

de-

debent determinari vel a gravitate materiae præceptæ, vel etiam a poenæ impositione; ita quod si aliquid præcipitur sub poena excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, violatio talis præcepti erit censenda gravis, quia additio talis poenæ satis ostendit, mentem Superioris esse obligare sub gravi, ut in simili advertit Sanch. ubi sup. n. 44. Non tamen colligitur obligatio gravis, si excommunicatio sit sententiæ ferendæ. Ita Valq. Navar. & alii, qui addunt, observandam etiam esse consuetudinem regionis, & religionis in modo loquendi, quia ex illa satis deducitur præcipientis intentio.

§. II.

De subjectione quoad Ordinarium.

Quar. 6. AN, & quomodo moniales subji-
cianur potestati Ordinariorum.

Resp. De jure communi, præcipis particularibus exemptionibus, & privilegiis Apostolicis, Regulares subjici originaliter Episcoporum jurisdictioni, can. qui vere in fin. 16. q. 1. & can. peruenit 16. q. 1. De quibus per Oldrad. cons. 274. Intelligitur autem hæc subjectio quoad jura Episcopalia, juxta cap. const. de rel. domib. & quoad obedientiam cap. cum liceat de præscr. Unde etiam moniales de jure communi subsunt Ordinariorum potestati. Modo autem fere omnes Religiosorum Ordines obtinent de jure speciali plenariam exemptionem. Monialium vero monasteria plurima etiam nunc plene subsunt Ordinariorum jurisdictioni, & quoad personas, & quoad bona temporalia, alia subsunt gubernationi.

F 4

Præ.

Praelatorum sui Ordinis, & alia sunt immediata Apostolicæ Sedis subjecta, ita tamen ut Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus in utrisque exerceat jurisdictionem in his, quæ spectant ad custodiam clausuræ, & in his ultimis exercet jurisdictionem etiam quoad gubernium spirituale, ut per Tridentinum *sess. 25. de Regul. c. 9.* non vero temporale, ut *ex declar. S. Cong. quam refert Pasq. in Laur. p. 1. n. 37. Barb. & Tamb.*

Quar. 2. An moniales in iis, in quibus subjiciuntur Ordinario loci, subjiciantur etiam ejus Vicario Generali, & Capitulo, Sede vacante.

Resp. Subjici etiam Vicario Generali, utpote constituenti unum, & idem tribunal cum suo Episcopo. Immo Vicarius Generalis potest exercere in moniales jurisdictionem competentem Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ delegato, quia delegatus Principis potest subdelegare, *c. Pastoralis, & c. fin. de offic. deleg.* Hæc pariter facultas transit in Capitulum Sede vacante, etiam quoad ea, quæ competunt Episcopo jure delegationis; licet enim, universaliter loquendo, Capitulum, Sede vacante, succedat solum in his, quæ competunt Episcopo ex jurisdictione ordinaria, non vero delegata, juxta ea, quæ per *text. in c. Pastor. de offic. ord.* resolvunt Abbas, Pavin. & Tusch. fallit tamen, quando jurisdictionis ex delegatione Sedis Apostolicæ in perpetuum committitur muneri Episcopali, quia supposita perpetuitate hujus delegationis; talis jurisdictionis competit Episcopis ex officio, & est accessoria, immo pars jurisdictionis Episcopalis, & per consequens ut talis transit in Capitulum, in quod, Sede vacante, transit per viam regulæ tota Episcopalis jurisdictionis; ut advertit Mol. *de just.*

r. 6. tr. 5. disp. 11. sub n. 8. & 9. & ex eo Barb. *de Off. & Potest. Episc. alleg. 133. n. 21.* ex quo Tambur. & Castrop. contra Garziam, Azor. Breun. Dian. & alios relatos a Pasq. ubi supra.

Quar. 3. An moniales exemptæ ab Ordinarii jurisdictione possint ei se subdicere.

Resp. Non posse: quia privilegium exemptionis habet implicatum jus reitii, scilicet Religionis, cui subduntur, & Summi Pontificis, qui eo ipso, quo illas eximit ab Ordinarii jurisdictione, eas sibi subjicit, & constituit se immediatum earum Superiorem. Non possunt igitur tali privilegio renunciare, quia per hujusmodi actum jus Religionis, & Summi Pontificis læderetur. Et hoc adeo verum est, ut neque consensu totius Religionis possint inconsulto Summo Pontifice se subdicere; tum quia privilegium exemptionis est connexum cum jure Pontificis; tum quia, cum sit Papale, ipsi sine Papæ consensu renunciari non potest, *cap. cum tempore, de arbitr.* Neque de consensu, & potestate Nuncii Apostolici, aut Legati a latere, quia exemptio est de reservatis Papæ, ac proprie Apostolicæ Sedi competit. *Gl. c. 1. v. exempti de privil. in 6. late Abbas in c. ult. n. 5. cum Apost. de confirm. util. vel inutil.*

Quar. 4. Quibus de causis moniales exemptæ debeant a Sede Apostolica subjici jurisdictioni Ordinarii.

Resp. Ex quacunque rationabili causa Faber. *insit. de his, qui sunt sui, vel al. jur.* Et maxime hoc faciendum videtur, quoties apparet, Superiores adeo male tractare illas, ut reputari possit abusus jurisdictionis. Hostien. communiter approbatus in *cap. licet enim num. 9. de*

simon. Insuper quando constat, Prælatos Regulares causam præbuisse dissensionibus inter moniales, & in eas servire, Roman. *conf.* 37. n. 1. Vel si moniales expensis graventur, Guido Papa *dec.* 62. & Prælatorum administratio tendat in destructionem monasterii, c. *Venerabilis*, ubi Gl. v. *suspecti de off. deleg.* c. 2. Item si interveniat scandalum exortum ex frequenti colloquutione Regularium cum monialibus, quæ res sicuti scandalosa est, ita opportuno eget remedio, atque adeo moniales sub horum Regularium cura non sunt amplius relinquendæ.

Quar. 5. An moniales pro constructione novi monasterii indigeant licentia Episcopi.

Resp. Indigere, & decernitur a Conc. Tr. *sess.* 25. c. 3. *de regul. in fin.* & notat Nav. Bard. Tamb. & Cesp. ita quod neque Vicarius generalis potest sine speciali mandato licentiam hujusmodi impertire, quia est de majoribus. *Sellelius in select.* *can.* c. 9. n. 4. ubi refert decisum a S. Cong. 11. Julii 1620. Vicarium vero Capitularem posse prædictam licentiam concedere, affirmant Cesp. *de exem. reg.* c. 1. *dub.* 21. n. 5. negat Pasq. *in Laurent.* n. 506.

Quar. 4. An in concedenda dicta licentia debeat servari forma præscripta a Clemente VIII. & Gregorio XIII. scilicet, quod prius vocentur, & audiantur Prælati conventuales locorum, ubi ædificandum est monasterium, & alii interesse habentes.

Resp. Affirmant Donatus, & Tambur. *de jure Abbat. disp.* 33. q. 1. n. 4. quia in dictis decretis præscribitur forma ad dandum consensum pro novo monasterio, sive sit virorum, sive mulierum. Negant Cesp. & Lezana, quia verba decreti loquuntur de religiosis monachis &c. non de mulieribus. Distinguit Pasqual.

qual. ubi supra n. 479. Si moniales non mendicent, non videntur comprehendi earum monasteria sub forma dctorum decretorum, quia non possunt religiosis præexistentibus afferre præjudicium, neque quæritando, neque divertendo concursum ab eorum Ecclesiis. Si vero quarunt eleemosynas, quia possunt præjudicium afferre per eleemosynarum diminutionem, ideo sunt cæteri religiosi audiendi.

Quar. 7. An Episcopus, antequam erigantur nova monasteria, debeat vocare, & audire etiam Prælatos monialium exemptarum.

Resp. Affirmat Cesp. c. 13. *dub.* 353. movetur ex verbis Constitutionis, in qua, postquam Summus Pontifex præcepit non esse erigendos Conventus nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, subdit: Et aliis interesse habentibus. Sed alii interesse habentes sunt etiam moniales exemptæ, præcipue quæ ex eleemosynis vivunt; ergo ex vi Constitutionis etiam Superiores illarum sunt vocandi, & audiendi ab Episcopo, & hoc etiam in constructione monasterii virorum. Videtur tamen obstare praxis, quæ est omnino servanda.

Quar. 8. An Episcopus possit indulgere monialibus, ut intra septa monasterii servent Eucharistiam.

Resp. Non posse, stante decreto Tridentini *sess.* 15. *de Regul.* c. 10. Putat nihilominus Rodriquez, quod Concilium solum prohibeat, quod Eucharistia servetur intra claustra, & proinde possit conservari tam in Ecclesia exteriori, quam interiori ex privilegio Clementis VII. per quod conceditur monialibus Fratrum Minorum, quod possint in Ecclesia interiori

in loco decenti habere Eucharistiam, sicut habent in exteriori. Verum hoc esse contra mentem Concilii, declaravit S. Congr. in *Toletana* apud Pignat. t. 8. *conf.* 53. n. 6. quæ sic habet: *Santissimum Eucharistia Sacramentum, non in Choro monialium, sed in Ecclesia exteriori conferretur, non obstante quacunq[ue] consuetudine contraria: nec potest in fenestella illius parietis, qua disjungit Chorum monasterii ab Ecclesia, resineri, & ubi consuetudo inolevit, omnino tollenda.*

Quar. 9. An moniales Ordinario subjectæ subjaceant casibus, & censuris, quæ ipse Ordinarius generaliter reservat pro tota diocesi, etiam si de ipsis monialibus non fiat expressa mentio in edicto reservationis.

Resp. Visum est aliquibus, quod non, præcipue *Cespedes c. 23. dub. 357. n. 3.* Quia edictum reservationis in universali nihil operatur pro monialibus; cum enim ipsæ sint communitas distincta a cæteris, & vivant secundum speciales leges, & regulas, debet Episcopus ipsis assistere in ordine ad speciale regimen juxta exigentiam regulæ ipsarum; & ideo, quæ facit in ordine ad diocesim secundum universalem directionem, non se extendunt ad moniales, quæ non subduntur ipsi, in ordine ad talem directionem, sed in ordinem ad specialem. Unde ex eo quod ferat edictum reservationis universale, quia procedit ex generali directione, non autem ex speciali, secundum quam præest monialibus, non dat vim tali edicto in ordine ad ipsas. Adde, quod in materia stricta, & odiosa, qualis est casuum reservatio, verba, quæ possunt accipi, in genere, & in specie, debent in specie accipi, ut per *Seraphin. dec. 853. n. 7.* Unde, licet edictum reservationis possit accipi in genere, scilicet tam

pro

pro sæcularibus, quam pro monialibus subjectis, nihilominus utpote odiosum debet pro sæcularibus tantum accipi.

His tamen non obstantibus, non est a communi sententia recedendum, quam tuentur *Diana, & Bord. in Miscell. dec. 49.* Quia edictum reservationis est generale, & aptum comprehendere etiam moniales; unde succedit regula, quod quando mens verisimilis disponentis, & subjecta materia concurrunt cum verborum indefinita generalitate, tunc veniunt omnes illi, ad quos se potest extendere dispositio, *Ruin. conf. 127. n. 4.* Quod autem edictum reservationis sit aptum comprehendere moniales, patet, quia reservatio pertinet ad disciplinam christianam, ut fideles retrahantur a peccatis, quia disciplina indigent etiam moniales; quare edictum debet illas quoque comprehendere, maxime quia si etiam ipsæ communicant cum cæteris sub eodem Pastore, & capite, debent etiam in obligatione generalis edicti communicare.

Quar. 10. An etiam moniales exemptæ subdantur casibus Episcopo reservatis.

Resp. Affirmat *Tambur. in expet. moral. expl. lib. 5. de penit. tr. de casib. refer. c. 3. n. 4.* innixus *Constitut. Insuperabili Greg. XV.* in qua statuitur, etiam moniales exemptas non alios quam ab Episcopo approbatos habere posse in Confessarios; unde infert, posse Episcopum restringere dictam approbationem: & Confessarium, quem dictis monialibus concedit, limitare, ne valeat absolvere ab hoc, vel illo peccato, qua ratione jam hæc moniales subiacent reservationi Episcopi. Cum ergo hodie Episcopi semper approbent Confessarios sub restrictione, ne absolvant a reservatis a

quan-

quando contrarium non exprimunt, eodem modo præsumuntur approbare hos Confessarios monialium, quamvis exemptarum.

In contrarium est communis sententia, quam amplector. Quia dispositio casuum reservatorum non extenditur ultra territorium, juxta communem doctrinam *in c. ut animarum de constit. in 6.* Cum ergo monasteria monialium exemptarum tam ratione sui, quam ratione personarum sint plene exempta, non secus ac si essent extra territorium, ut per Bonac. Bordon. & alios; constatque ex diversis privilegiis summorum Pontificum, præcipue Sixti IV. Bul. 1. apud Consect. ad ipsa non potest se extendere Episcopaliu casuum reservatio.

Neque valet, quod possit Episcopus non approbare quoad reservata Confessarios monialium exemptarum, quia potest ferre judicium quod non sint idonei quoad illa, qua ratione prædictæ moniales subjacebunt reservationi Episcopi. Non valet, inquam, nam delegationem Episcopi non se extendere ad limitate approbandum Confessarios quoad reservata suadet. Primo, quia per Constitutionem Clementis X. *Superna*, & Sacræ Congregationis declarationes, facultas approbandi Confessarios regulares se extendit tantum ad tempus, locum, & personas, de criminibus vero nihil disponitur; & merito, cum quoad hæc sit sufficienter provisum per reservationem, quoad sæculares quidem per reservationem Episcopi, quoad exemptos vero per reservationem sui Prælati.

Secundo, quia facultas delegata Episcopis ad cognoscendum de idoneitate Confessariorum regularium non est trahenda ad subjiciendas moniales quoad reservata; concessa enim jurisdic-
tio-

ctione in certo casu, censetur in cæteris prohibita, *l. cum Prator. ff. de judic. Riminald. jun. conf. 516. n. 20.* Et delegatio est stricti juris, Rota *dec. 18. n. 1. de dol. & contum. in nov.* adeoque restringenda ita ut minus, quam fieri potest, lædat exemptionem, per regulam *ea qua de regul. jur. in 6.* maxime quando potest in uno casu sortiri suum effectum, Ceph. *conf. 104. n. 11. l. 1.* cum adductis a Rota *dec. 563. n. 1. p. 1.* prout in præfenti; potest enim Episcopus cognoscere de idoneitate confessarii, & illum approbare, si idoneum; reprobare vero, si minus idoneum reperit, absque eo quod procedat cum limitatione offensiva exemptionis monialium.

At dato etiam citra veritatis præjudicium, quod possit prædictos Confessarios limitate approbare quoad reservata, in tali casu debet hanc limitationem exprimere, sicuti exprimere debet limitationem quoad tempus, locum, & personas, quando intendit limitare quoad illa. Et ratio est, quia limitata utpote derogativa exemptionis, atque adeo stricti juris, non præsumitur, Rota *decif. 23. n. 19. p. 1. recent.* Cum nimis odiosum sit auferre exemptiones, & privilegia, quæ post concessionem non dicuntur contra jus, sed de jure, *l. 1. ff. de constit. Princip. Cæsar. de Grals. decif. 1. n. 6.* Gonzal. ad regul. 8. gloss. 36.

Nec sufficienter deducitur limitatio quoad reservata per hoc, quod Confessarii exemptarum approbentur sicut cæteri; atque adeo cum cæteri Confessarii approbentur semper cum restrictione, ne absolvant a reservatis, nisi aliud exprimatur, illi quoque sub eadem restrictione censentur approbati. Nam licet verum sit, quod cæteri Confessarii non possint absolvere a refer-

vatis; hæc tamen restrictio non provenit a limitata approbatione, sed a lege reservationis, quæ valde differunt inter se; prima enim respicit idoneitatem, secunda vero cadit supra jurisdictionem; unde stare potest absoluta approbatio cum restrictione facultatis in ordine ad reservata, ut patet in Parochis, qui a jure sunt absolute approbati, & tamen absolvere a reservatis non possunt.

Et, quod cæteri dioecesis Confessarii non approbentur cum restrictione approbationis, convincitur etiam ex praxi; nam quilibet illorum virtute jubilæi absolvit a reservatis Episcopo absque nova approbatione, quæ necessario indigeret, si antecederet ad jubilæum non fuisset etiam quoad reservata approbatus idoneus; nam privilegium jubilæi requirit tanquam de forma approbationem Ordinarii, atque adeo approbationem ad reservata; non enim sufficit qualifcunque approbatio, sed debet esse approbatio in ordine ad illum effectum, ad quem eligitur Confessarius: quod non verificaretur, si in antecedenti approbatione fuisset exclusus a reservatis, ut statetur idem Tamburinus *lib. cit. c. 5. §. 4. n. 30.*

Quar. 11. An moniales non exemptæ incidant in casum reservatum Episcopo non comedendi carnes diebus prohibitis ab Ecclesia, si in aliis diebus, in quibus ex voto, vel observantia prohibentur, carnem comedant.

Resp. Non incidere. Ita Sanch. & Mazzuchel. quos refert, & sequitur Cespèd. *dub. 355.* quia tunc peccant quidem contra regulam, vel contra votum; non autem contra Ecclesiæ præceptum: unde non habet locum reservatio, quia afficit comestionem carniæ præcepti Ecclesiastici violatam. Si vero moniales tenean-

tur ex vi voti, & regulæ abstinere a carnibus die Veneris, & Festum Natalis Domini incidat tasi die, tunc comedendo carnes incidunt in casum reservatum, quia adhuc viget præceptum respectu eorum, qui in tali die tenentur ex vi voti vel regulæ a carnibus abstinere, ut habetur ex *final. de observ. jejun.*

Quar. 12. An Episcopus ut Sedis Apostolicæ delegatus possit reservare casus circa clausuram in ordine ad moniales exemptas, v.g. ne cum familiaribus loquantur in ostio aperto &c.

Resp. Possè. Ita Baucius; quia ex vi delegationis factæ Episcopo circa clausuram tam materialem, quam formalem, ut videbimus suo loco, cessat in illis quoad clausuram privilegium exemptionis, atque adeo quoad hoc etiam illæ subduntur Episcopo sicut cæteræ moniales; ratione igitur istius subjectionis poterit Episcopus reservare casum ad materiam clausuræ spectantem, quia suæ jurisdictionis limites non excedit. Ex quo sequitur, quod in casu contraventionis, moniales sunt absolvendæ ab Episcopo, non autem a proprio Prælato, idque ex decreto Clementis VIII. expresse prohibente omnibus Regularibus, ne absolvant vi cujuscunque privilegii ipsis concessi a casibus Ordinario specialiter reservatis: quod decretum, cum loquatur indefinite, utique comprehendit etiam reservata monialibus, juxta regulam generalem. Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi. Scio, Pasqualigum, quem sequitur Diana *7. in opere coord. trav. 1. res. 317. n. 2.* negativæ sententiæ adherere, quia putant dicti Doctores, quod delegatio concessa Episcopo a Tridentino in ordine ad clausuram monialium exemptarum sit solum in foro

externo, quod probare prætendunt ex verbis ipsius Concilii *sess. 25. de Regular.* Ego tamen a priori sententia non recedo.

Quar. 13. An moniales subdantur Episcopo quoad officialium monasterii electionem.

Resp. Negative, sed electionem spectare vel ad Abbatissam vel ad Conventum, juxta ipsarum Constitutiones. Constat ex Sac. Congr. decreto relato a Pasqual. in *Lauret. n. 770.* Officiales hujusmodi ad nutum Abbatissæ vel Conventus possunt amoveri, ut ex Conc. Trid. *sess. 25. c. 2.* notant Bordon, Sigism. & Donat qui addunt, posse etiam sine causa amoveri, hoc enim est esse ad nutum amovibiles; nam si requireretur causa, essent solum amovibiles ex causa, non ad nutum. Immo quod monialium procurator de triennio in triennium mutari debeat, extat speciale decretum Sac. Congreg. *sub die 31. Junii 1615.* ut refert Aldan. in *comp. canonice. resol. lib. 4. tit. 2. n. 10.* Procedit autem non de procuratore ad lites, sed de procuratore administrante bona monialium, nam inhæret decreto Concilii *d. sess. 25.* quod procedit tantum de administrante bona temporalia. Pasqual. *ubi supra.* Advertendum ex declaratione Sac. Congr. Episcop. *sub die 22. Augusti 1605.* non posse religiosos cujuscunque gradus eligi in administratores bonorum monialium.

Quar. 14. An moniales, etiam exemptæ, subdantur Ordinario loci quoad bonorum suorum administrationem.

Resp. Subjacere in eo, quod potest Ordinarius ex causa rationabili monere Prælatos regulares, ut amoveant ab administrandis bonis monialium eos, qui ad tale munus deputati sunt, ipsisque Prælati id facere detrectantibus, aut

ne-

negligentibus, ipsemet Ordinarius amovere potest quoties, & quando opus esse judicaverit. Subduntur etiam in eo, quod singulis annis, ad habitus etiam Prælati regularibus, potest a præfatis administratoribus exigere rationem administrationis, & ad id eos compellere juris remediis, ac, si forte delinquentes circa administrationem reperti fuerint, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus punire. Patet expresse ex Bulla Greg. XV. *Inscrutabili.*

Quar. 15. An Regulares concionaturi monialibus exemptis, ad crates teneantur benedictionem petere ab Ordinario.

Resp. In rigore loquendo videri, quod non. Quia Conc. Trid. *sess. 5. c. 2. de ref. & sess. 24. c. 4.* & Bulla Greg. XV. *de privit. exempt.* loquuntur de concionatoribus, & de prædicatione in Ecclesiis, atque adeo de publicis concionibus, seu sermonibus, quales non sunt sermones, qui sunt apud moniales januis clausis; nam sunt potius privatae adhortationes, & ideo non videntur sub his dispositionibus includi. Pasqual. *ubi supra n. 625.* qui citat Cespèd. & Lezan. Quod etiam videtur sentire Bord. in *cons. regul. ref. 7. n. 33.* etiam si moniales, apud quas habentur prædicti sermones, non sint exemptæ. Nilominus petendam esse benedictionem ab Ordinario, sive concio habenda sit ad crates monialium exemptarum, sive non exemptarum, etiam januis clausis, & nullo sæcularium audiente; expresse decretum in Constit. Clem. X. quæ incipit *Superna.*

Qualiter autem moniales, etiam exemptæ, subjiciantur Ordinariis quoad puellarum educandarum, & novitiarum receptionem, professionis emissionem, Confessariorum approbationem, festorum, jejuniorum, censurarum, in

ter-

140 De *subject. erga Prælatum Reg.*
redditi, & clausuræ observantiam, suis in lo-
cis refertur.

§. III.

De *Monialium Subjectione erga Prælatum
Regularem.*

Quar. 1. AN potestas Prælati Regularis in
moniales sibi subditas sit ordina-
ria, vel delegata.

Resp. Esse ordinariam; quia illi competit ex
officio, & est perpetua, quæ duo constituunt
potestatem in esse potestatis ordinariæ, ut no-
tant communiter Doctores. Ex quo fit, quod
fit etiam delegabilis, ut firmat interminis Ro-
driq. 2. 1. 9. 17. art. 10. Illa vero, quæ compe-
tit Prælati locali reputatur communiter delega-
ta; nam ex officio competit Generali, aut Pro-
vincialibus Ordinis. Superioribus vero locali-
bus committitur per delegationem; ut in casu-
bus frequentius occurrentibus possint opportu-
ne providere. Unde juxta hanc sententiam non
possunt locales Prælati Regulares talem faculta-
tem alteri committere, quia delegatus non po-
test subdelegare.

Quar. 2. In quibus moniales exemptæ subdan-
tur suo Prælati Regulari.

Resp. Subdi fere in omnibus, in quibus sub-
duntur Ordinario moniales ipsi subjectæ; unde
de utrisque proportionaliter discurrendum. Et
insuper subduntur in omnibus, in quibus subdun-
tur viri religiosi, quantum tamen patitur condi-
tio sexus foeminei, & quantum ad ea, quæ sta-
tui monialium esse possunt proportionata.

Quar. 3. An Prælati Regularis habeat in mo-
nia-

niales subditas potestatem non solum directi-
vam, sed etiam coercitivam, & judicialem.

Resp. Affirmative. Patet ex usu, & suade-
tur ratione; nam omnis communitas, ut sit or-
dinata, debet posse dirigi in suum finem per
congrua media, ut Theologi communiter cum
D. Thom. 1. 2. 9. 92. art. 2. Ergo debet in Præla-
to Regulari residere potestas coactiva, & judi-
cialis, tanquam medium congruum, & princi-
pale dirigendi monialium communitatem in re-
gularem observantiam; attenda enim humanæ
conditionis imbecillitate, parum esset hortari
moniales verbo, nisi cogerentur imperio. Ita
Suar. 2. 4. de relig. 11. 8. lib. 2. cap. 9. n. 1. docens
postea, quod, quamvis Prælati religionis ex
vitalis status habeat solum potestatem coercen-
di modo paterno, & juxta limites regula; ra-
tione tamen jurisdictionis Ecclesiasticæ habet
potestatem coercitivam Episcopalem, idque ex
usu, & privilegiis omnium religionum exem-
ptarum. In usu tamen hujus jurisdictionis ha-
benda est ratio consuetudinis, cum vilius pos-
sit contingere, quod tota jurisdicctio sit in Præ-
lato religioso quoad omnia delicta, vel quod
aliqua sint Episcopo reservata, vel quod in utri-
que sit cumulative.

Quar. 4. An moniales Regularibus subje-
ctæ subdantur casibus in religione reserva-
tis.

Resp. Quod sic; tum quia sunt pars ejus-
dem Ordinis, & subduntur Prælati Regulari
tanquam capiti, sicuti subduntur cæteri reli-
giosi; tum quia moniales subjiuntur omni-
bus constitutionibus, & ordinationibus fa-
ctis a Prælati Regularibus, quando moniali-
bus earum materia potest accommodari: Mi-
rand.

tand. q. 5. art. 3. de Monial. Ergo etiam subji-
tur caluum reservationi. Cesp. & Bord. *conf.*
regul. ref. 37. n. 43. & 44. ubi etiam advertit, &
probat ex decreto Clementis VIII. & declara-
tione Sac. Cong. 7. Julii 1617. quod, sicuti Præ-
lati Regulares quoad religiosos non possunt sibi
reservare casus, neque censuras nisi de consensu
Capituli, ita neque poterunt sine prædicto Ca-
pituli consensu casum aliquem, aut censuram re-
servare quoad moniales subditas; quia sicuti istæ
eodem modo ipsis subjiuntur ac viri, ita eo-
dem modo debent ligari.

Quar. 5. An Prælati Regularis de bonis mo-
nialium sibi subditarum possit disponere in casu-
bus alias permissis, etiam contradicentibus mo-
nialibus.

Resp. In contractibus gravioris momenti non
posse; si enim Abbatissa, cui immediate bono-
rum monasterii cura incumbit, indiget in his ca-
sibus proprii Capituli consensu, a fortiori indi-
gebit Prælati Regularis, cui minus proxime
præfatorum bonorum incumbit administratio.
Maxime quia hujusmodi consensus inductus est
favore monasterii, atque adeo favore publico;
quando autem consensus respicit favorem publi-
cum, requiritur pro forma actus, ut tradunt
communiter scribentes in *l. si quis mihi §. jus-
sum de acquir. hered.*

Quar. 6. An Abbates habentes usum baldachini possint illud erigere in Ecclesiis monialium sibi subditarum in vicibus, quibus conceditur.

Resp. Quod sic; nec possunt ab Episcopis impedi-
ri. Ita Cesp. & Squillan. quos refert, &
sequitur Pasqualig. ubi supra n. 396. Quia decla-
ratio Sacre Congregationis habet, quod pos-
sint uti in suis Ecclesiis propriis; Ecclesiæ au-
tem

tem monialium subditarum sunt propriæ ipso-
rum, cum ibi habeant jurisdictionem; unde
non extenditur jus baldachini extra locum juris-
dictionis.

§. IV.

De subjectione quoad canonicam visitationem.

Quar. 1. AN Prælati monialium teneantur
cas visitare, & quando.

Resp. Teneri, & quidem singulis annis; pa-
tet ex *Clement. 2. Attendentes de stat. monach.*
ubi statuitur, quod monasteria monialium Pa-
pæ immediate subditarum visitari debeant ab
Ordinario loci Apostolica auctoritate; non ex-
empta a proprio Ordinario, sed propria pote-
state, exempta vero a propriis Prælati Regu-
laribus. Hæc facultas competit per speciale
mandatum etiam Vicario generali, nec non Ca-
pitulo, Sede vacante, quia, ut superius dixi-
mus, in his, in quibus moniales subditi possunt,
possunt pariter visitari.

Quar. Quid observare, quid cavere debeant
Prælati in monialium visitatione.

Resp. Quam maxime attendere debent, ut
omnia paterna charitate fiant, suaviter curando
ipsarum vulneribus mederi, & vitia omnia ab
illis dulciter evelli, quod habetur in *cap. licet
plerumque dist. 5.* Item debent de tempore visi-
tationis præmonere moniales, ne eas imparatas
invadant, nisi aliud suadeat necessitas, vel ra-
tionabilis causa. Jo: Andr. & Fuchs. *de visit. lib.*
i. c. 4. num. 4. Abstineant a juramento exigendo
(nisi ex particularibus religionum statutis aliud
servetur) *cap. Romana Ecclesia, §. sane de Cens.*

Ad.

Advertunt tamen Spatharius, & Resta in *dir. visitat.* quod, ubi opus fuerit, poterunt moniales præcepto, & excommunicationis poena ad aperiendam veritatem compelli. Crimina occulta nullatenus interroganda, nisi de illis infamia aliqua, vel probabilis suspicio præcedat. Non prohibetur tamen de meritis, seu demeritis monialium, qui eligi possunt in Abbatissas, perquirere, etiam nulla præcedente infamia. Caveant insuper, ne ex his, quæ in hac generali inquisitione deferuntur, procedant ad poenam, sed tantum delinquentes moneant, ut corrigantur; terreatur minus, ut cautius agant; quia in hoc casu Prælati non se habent tanquam iudices ut puniant, sed tanquam Patres ut corrigant; & fructus visitationis est potius emendatio, quam punitio, ut notatur in *cap. inquisitoribus de accus. & ex Angelo notat Lezana 99. regular. 2. cap. 27. numer. 3.* Ingressi ad visitandam clausuram non introducunt sæculares extra necessitatem in monasteria, *cap. ut juxta de offic. ordin. muneræ quantumvis minima nec ipsi, nec suorum quisquam recipiant.* Trident. *sess. 24. de reform. cap. 3.* a quibus abstinere etiam debent finita visitatione, dum a monasteriis visitatis discedunt. *Genues. cap. 35. n. 5.*

Quar. 3. An moniales exemptæ possint resistere Ordinationi loci volenti eas quoad clausuram visitare.

Resp. Non posse. Ita ex communi praxi colligitur, & habetur ex decisione, quam ex Galletto adducit Barbosa *de offic. Episc. allegat. 172. num. 7.* Immo potest Ordinarius non tantum visitare moniales exemptas quoad clausuram, quoties expedire judicaverit, sed etiam

illās

illās de spectantibus ad clausuram interrogare. *Sac. Congr. 25. Februarii 1583.* Nec possunt ipsi Regulares, quibus subsunt moniales, impedire, etiam si alias monasterium illud nunquam fuerit visitatum. *Eadem Sac. Congr. 24. Novembris 1617.* Ita quod monialibus, aut Regularibus visitationi obstantibus potest Episcopus resistere frangendo fores monasterii, & vim vi repellendo. *Fuscus lib. 2. de visitat. cap. 19.* Immo tam moniales, quam alii impediētes incidunt in excommunicationem latam in *d. Clement. Attendentes.* Ad eam tamen incurendam requiritur præsumptio, cum in textu adhibeatur verbum *presumpserit*, & præcedere debet monitio ex vi dicti textus, ibi, *Nisi monisi respiciant.* Nec sufficit, quod dicta monitio fiat antequam apponatur impedimentum, sed debet ipsum subsequi. *Bonac. disput. 2. de censur. particular. quest. 2. part. 2. num. 4.* monens num. 2. requirit triplicem monitionem, vel unam pro triplici, quia hoc est de stylo juris canonici, nisi aliud necessitas suadeat. Et talis monitio fieri debet ab ipso monialium visitatore, qui impeditur, ut ab ejus Superiore, quia debet esse juridica. Supradicta excommunicatio afficit etiam impediētes visitationem a Prælati Regularibus intentatam.

Quar. 4. An Episcopus possit visitare sæculares, seu regulares exercentes curam animarum personarum sæcularium in Ecclesiis monialium exemptarum.

Resp. Posse juxta decretum Concilii Trident. *sess. 24. de regular. cap. 11.* & Gregorii XV. *constitut. de exemp. privil.* in iis enim, quæ ad curam spectant animarum, vel in dependentibus ab illa, subsunt Episcopo, ut docent

Confess. Monial.

G

Cam-

Campanil, & Barbola; unde ſi, dum Epifcopus ingredi voluerit ob cauſam prædictæ viſitationis, reuauit exempti, vel exemptæ moniales oſtium claudendo, licebit illi oſtium infungere. Innoc. Abbas, Campanil, & Fulcus; & contra huiusmodi impediētes in actu illatæ violentiæ, nulla præmiſſa monitione, excommunicationem ferre. Genuen, Campanil.

Quar. 5. An moniales in actu viſitationis de regulari obſervantia a Præſato interrogatæ teneantur ſub mortali reſpondere.

Reſp. Teneri ex Texeda relato a Diana in opere coord. 1. 7. tit. 1. reſ. 302. Quia Præſatus in viſitatione tenetur ſub mortali culpa interrogare de Conſtitutionum obſervantia, quia tenetur ſub mortali promovere bonum commune, ad quod promovendum prædicta obſervantia eſt maxime neceſſaria. Tenebuntur igitur eodem modo etiam moniales veritatem Præſato interroganti aperire, quia ad ipſas quoque ſpectat bonum commune promovere, cum tanquam partes teneantur bono totius cooperari.

Neque valet, quod regulæ, & Conſtitutionum tranſgreſſio eſt quid leve, quia ut plurimum regula, & Conſtitutiones vel ad nihil obligant, vel tantum obligant ad veniale; quare moniales celando huiusmodi tranſgreſſiones Præſato, quamvis iuridice interroganti, non peccabunt mortaliter: mentuntur enim in re levi. Reſpondeo, quod licet regulæ, & Conſtitutionum tranſgreſſiones in ſe ſumptæ leves ſint, attamen ſi ſpectentur in ordine ad bonum commune, dicendæ ſunt graves, quia gravitas culpæ non ſemper, & abſolute a gravitate, & nobilitate materiæ metienda eſt, ſed etiam a gravi, & neceſſaria exigentia finis penſanda.

Quar. 6. In quibus caſibus excuſentur moniales a criminibus in viſitatione generali denunciandis.

Reſp. Excuſari, quando peccatum eſt emendatum, quia delictum non quæritur, niſi ad delinquentis emendam, qua interveniente, ceſſat finis denunciationis. Ex quo ſequitur non eſſe denuncianda delicta a multis annis commiſſa, quia ex lapſu multi temporis, quale eſt ſpatium trium annorum, ex Maſcardo, præſumitur emendatio, niſi aliunde conſtet de reincidentia. Item excuſantur, ſi criminum noticia ſit ex auditu a levibus perſonis, quia talis noticia nullam generat fidem. Neque tenentur cum proprio, vel perſonæ denunciandæ detrimento in caſibus, in quibus lex naturalis excuſat ab obedientia; neque ſi ſciant ſub ſecreto naturali, niſi delictum in publicam monaſterii perniciem vergeret; neque ſi ipſis conſtet, vel quod Præſatus nullum apponet remedium, quia nemo tenetur ad opus inutile, vel quod alii, a quibus audierunt delictum, denunciaverint; quia ceſſat finis denunciationis; neque ſi delictum ſit occultum, & nulla præcedat vel ſuſpicio probabilis, vel infamia, quia ſicut Præſatus non poteſt interrogare, neque moniales tenentur denunciare, niſi velint manifeſtare peccatum Præſato ut Patri ſecrete, ad emendationem ſemper tamen præmittenda eſt correctio ſraterna, ſi ſit opportunitas, & ſpes emendæ, quia illa eſt de jure divino. Lezana q. regul. 2. 1. cap. 27. num. 2.